



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

XXV. Caritatis Expostulatio Adversus eos qui nomen suum cum aspiratione  
vel pronuntiant vel scribunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Christe fave, nomenque tuum, nomenque parentis  
Scribe: liquor, sanguis; pennaque, clavus erit.

## XXIV.

## DE STELLA MAGORUM.

**D**UM cœli varios spectant revolubilis orbes,  
Inque vago noctis sidera picta sinu;  
Chaldæi insuetam mirantur fulgere flammam,  
Quam mutet radiis Phosphorus ipse suis.  
Continuoque viam linguâ suadente coruscâ,  
Versus Idumæas corripuere plagas.  
Ipsa comes, ductorque facem de nocte ministrat;  
Deque die gressus officiosa regit.  
Ast ubi Bethlemix lumen tetigere cavernæ,  
(Regia bisgeniti nam fuit illa Dei)  
Restitit, excubitorque novus super antra resedit,  
Functurus vigilis nocte dieque vicem.  
Ite magi, atque aliam jam quærite lampada vobis,  
Hic fixa est, errans quæ modo stella fuit.

## XXV.

## CARITATIS EXPOSTULATIO

*Adversus eos qui nomen suum cum aspiratione vel pronuntiant vel scribunt.*

**S**ANCTI progenies parensque amoris,  
Quam prono dominam fatentur ore  
Virtutes, charitesque; gratiæque,  
Necnon illecebræ pudiciores:  
Voce supplice Caritas precatur.  
Ne, cum grammatici suum vocare



Stilove incipient notare nomen;  
 Illud litterula asperent molesta.  
 Nam dulcedinis & suavitatum,  
 Divinæque soror benignitatis  
 Spiritus negat asperos habere.

XXVI.

## AD P. FERRIUM

EXIMIUM VERBI DIVINI PRÆCONEM.

**C**UM tibi sint mores quos aurea prædicet ætas,  
 Aurea mens, torrens aureus ore fluat;  
 A duro nomen trahis illætabile ferro:  
 Credemusne ullam vocibus esse fidem?  
 Sed tamen in ferro vis est adjuncta nitore:  
 Martius atque suum fulgor acumen habet.  
 Nempe tua hæc, Ferri, laus est: fulgesque, ferisque:  
 Mixtaque fulgureâ vulnera luce facis.  
 Quanquam dissimilis ratio ferrique, tuique:  
 Das vitam; ferri vis inimica, necat.

XXVII.

## IN LIBRUM V. CL. N. BOCHARTI

*De animalibus sacrae scripturae.*

**Q**UI veterum libros, spinosa volumina, vatum  
 Sperat inoffenso solus adire pede:  
 Ille per undantes malefidæ Syrtis arenas  
 Tendere securum posse videtur iter.  
 Non facies rebus, non pristina forma remansit:  
 Signa etiam voces destituere suas.

Dd ij